TRICHIASIS

Admodum rara;

SEU

OBSERVATIO

Pilorum, abdominis Fiſtula, & Alvo, per plures annos redditorum.

Scriptore Iſaaco Aymé, *Sereniſſimæ Magnæ Britanniæ Reginæ Chirurgo.*

LONDINI,

Typis *H. Hills*, Jun. Impenſis *R. Bentley*, in Vico vulgò dicto *Ruſſel-ſtreet*, *Covent-Garden*.

M DC LXXXIV.

MVSEVM
BRITAN
NICVM

OBSERVATIO

Admodum Rara,

Pilorum, abdominis Fiſtula, & Alvo, per plures annos redditorum.

Scriptore Iſaaco Aymé, *Sereniſſimæ Reginæ Chirurgo.*

INter ea quæ à Medicis Chirurgiſque ſolent obſervari, quædam ſunt exempli adeo ſingularis, ut artis medicæ cancellos omnes longe exſuperent. Quare ſæpe ſæpius fit, ut ea doctioribus proponere neceſſum habeant, quo ſcilicet hæc non ſolum ſub incudem revocentur, ſed illorum diligentia ac eruditione, quo carent, lumen accipiant. Eodem conſilio, præſentem Judithæ Jaquemar Gallæ hiſtoriam omnium oculis

ſubjicio, ſpe ductus fore, ut inter curioſos, humaniores diligentioreſque ſuæ ſententiæ lumine rem medicam perfundere haud dedignentur.

Prædicta mulier vigeſimo ætatis ſuæ anno Nicolao Mederico Anglo, tunc temporis in Gallia verſanti nupſerat; ac elapſo à nuptiis anno fere uno, maſculum fœtum enixa fuerat. Septimo à partu menſe iterum gravida evaſit, Angliamque petitura, quo paulo ante conjux ejus ſe receperat, Diepam ſe contulit. Illic navim incaute conſcendens, ventrem obviæ fortuito trabi adeo illiſit, ut pars hypogaſtrii dextra ſuperiorque graviter læſa fuerit. Sic oborto eo loci dolore ſemianimis fere concidit; ac tumorem brevi ibidem paſſa eſt, cujus moleſtia licet gravis, non tamen impedivit, quominus ſuſceptum ea perageret iter. Decimo itaque Aprilis Angliam appulit, Greenwichiumque pagum ingreſſa, adeo malè illic ſe habere ſenſit, ut eo loci per duas aut tres ſeptimanas decumbere coacta fuerit. His præterlabentibus,

abiit

abiit in abceſſum prædictus hypogaſtrii tumor, qui naturæ ductu paulo poſt apertus, magnam materiæ purulentæ fœtidæque copiam effudit. Decimo poſtea Maii ſequentis Londinum advecta, in piorum quorumdam virorum manus incidit, quorum precibus meæ curæ commiſſa eſt, & eidem ad ſupremum uſque illius diem relicta; qui tandem, poſt varios miroſque improſperæ valetudinis caſus, ſexto Menſis Octobris Anni 1682. ab ægrotante diu exoptatus obrepſit.

Cum enim primum hanc attigiſſet urbem, ac frequenter à me tum inviſeretur, rupto licet ut dictum eſt abceſſu, tumorem nihilominus in parte læſa pugno majorem, durum, ac ferè ſcirrhoſum habebat. Hujus cum os ſtrictum, profundum, fiſtuloſumque mihi videretur, ita ut ejus cavitatem ad Vulvam uſque metuerem extendi, calloſas ejus imprimis abſumere partes in animum induxi; quo facto patens adeo paravi impuritatibus iter, ut liberalis poſtmodum laudabiliſque ſuppuratio ſucceſſerit. Tunc tempo-

ris, cum ulceri purgando operam forte navarem, ecce pulvillus quidam occurrit, non pœnitendæ magnitudinis, quem ex concerpto panno paratum, ac fortuito relictum in ulcere putavi. Sed eo abluto, inveni aliquos pilorum floccos ſimul obvolutos, multaque ſanie diffluentes: dubiuſque poſtmodum hæſi, perpendens unde mira hæc pilorum ſeges proficiſci poſſet. Sequentibus poſtea temporibus idem ſæpe mihi videre contigit, ita ut novo hoc portento motus, operæ prætium eſſe duxerim, viros inter-doctos, & artis medicæ peritos rem omnem, ut erat, propalare. Inter eos primo loco fuit Clariſſimus Eruditiſſimuſque Dom. Mendez Sereniſſimæ Reginæ Archiater, vir ingenii candore non minus quam doctrina ſummus. Is cum mea narratione perculſus mihi ulcus id aliquando purganti dignaretur adeſſe, conglobatos quoſdam pilorum, prædictis ſimilium cirros, inter alia retrimenta, ab ulcere extrahi etiam vidit. Hi eo adhuc præſente abluti fuerunt; ſic-

que

que purgati, flavi reperti ſunt, ſed ad rufum colorem quodammodo vergentes; cæterùm quatuor tranſverſos digitos longitudine circiter æquabant. Oculis uſurparunt idem complures alii, inter quos ultimus ad ægrotantem acceſſit Dom. *le Vaſſeur*, ejuſdem rei non ſine magna voluptate ſpectator; qui cunctis eſt, ut ipſe hodieque profitetur, teſtis, uberem hunc pilorum in prædicta Fiſtula proventum ad extremam noſtræ vitam conſtanter perſeveraſſe.

Annus erat & medius, ni fallor, à primis morbi temporibus elapſus, cum neſcio quo naturæ beneficio, dicam? an aliquantula noſtra diligentia factum eſt, ut Fiſtula quaſi repleta tantum non ad cicatricem perduceretur. Cum tamen ſecretior ejus pars & profundior non minus quam antea peccaret, raro quodam tabo ſemper, ac paucilla quadam humiditate madebat. Quidquid ſit, dilucidas ægrotanti inducias per ſex fere menſes tam crudele malum indulſit; quo temporis ſpatio negotiis ultro citro-

que curandis expedite vacavit. Tunc temporis attamen, & à morbi principio eousque, lunare virus, & solemnem sesquioris sexus expurgationem minimè experta est. Interea pili, occlusa Fistula, non amplius effundebantur; sed mira quadam naturæ providentia, una cum tabo fungosas ulceris carnes ita perreptabant, ut foris pullulare apparerent. Firmis admodum affixi radicibus videbantur; substantiaque iis qui patula emittebantur fistula crassiores, colore fusciores, forma rigidiores erant: ita ut non male adnascentes Pavonum indicorum collo pilos figura referrent. Hi, cum minime possent avelli, ab ægrotante non raro decutiebantur; sicque ea fugiebatur molestia, quam rigiditate ac duritie ii male sanæ parti subinde inferebant.

His ductis utcunque mensibus, ægra iterum male cœpit habere; coliciſque doloribus imprimis se vexari, urgente interea vomitu, ac constipata penitus alvo, conquesta est. Hanc ob rem immissi clysteres fuere, sed admit-

admitti nullo pacto potuerunt. Præſcripta potio cathartica, ſed ineaſſum; parca namque manu communia quædam retrimenta duntaxat egeſſit, auctis interea adeo doloribus, ut tandem in teneſmum acerbiſſimum inciderit. Huic ſublevando cum ano digitum ægrotans admoviſſet, pilorum, à primis facie non abludentium, pilam extraxit, ovo mediocri non craſſitie inferiorem: quod poſtea ſæpe etiam fieri, non ſine unius cujuſque ſtupore contigit. Ea autem pila ſic ab ano remota, per plures dies alvo libera profuſaque uſa eſt; tumque Fiſtula quæ obducta ferme viſa fuerat, ſponte ſua iterum dehiſcere cœpit. Inde tanta oborta eſt hæmorrhagia, ut in præſens vitæ diſcrimen ægra deſubito venerit. Eruptione tamen belle ſedata, iterum ulceri manus opitulares admovi; monitus antea ab adſtantibus flatuum aliquantulam copiam noctu ea porta erupiſſe, ægramque præcedenti die ficus plures, pro ea qua erat intemperantia, abliguriiſſe. Quare non miratus

ratus poſtea fui, ſublatis ſpleniis linamentiſque omnia ficuum granis ſeminibuſque conſperſa me reperiſſe; ſed potius inteſtina, mali præcedentis commercio labefactata, tum demum hiare conjeci. Hanc ſententiam ſtabilivit exhibitum ægræ poſt aliquot menſes plurium conſilio catharticum: fæces enim cum aſſumpto remedio ac pluribus aliis recrementis viam ſibi per orificium fiſtulæ pararunt, à quo tempore maxuma eorum pars huic viæ inſiſtere ad mortem uſque ægrotantis minime ceſſavit. Omnes quidem fæces hac ſe parte præcipites dare minitabantur; ſed injectis à me firmis vinculis laqueiſque ita retardatæ ſunt, ut partim alvi priſtinum iter relegere neceſſum habuerint.

Meminiſſe nunc juvat, anno uno ante decumbentis obitum, Fiſtulam aliam, actis diu cuniculis, in ſiniſtra hypogaſtrii parte, qua oſſis *Ilii* pars extrema & antica eminere conſpicitur, facto cutis divortio patuiſſe. Sed licet ea hiſce locis pertinaciter, donec

nec ægra efflaverit animam, inſederit; eo tamen altera minus funeſta fuit, quod inter ſuppurandum neque pilos neque fæces eructarit. Quare non ita dubios animi ac ſuſpenſos hæc Eruditos habuit, ac ſuperior; quæ pilorum præſertim eruptione nullum non iis negotium faceſcebat. Quidam enim maleficium ſubeſſe aliquod perperam ſuſpicati ſunt; rati rem adeo ſtupendam nonniſi cauſis natura ſuperioribus adſcribi poſſe. Alii id materiæ craſſæ viſcidæque retulerunt acceptum, quæ partis affectæ calõre ſenſim ac ſine ſenſu reſiccata, in molles flexibileſque filos abierat. His perſpicatior adhuc Dom. Mendez, & Eruditi quidam alii medicinæ Doctores, eos è retenti forte Embryonis capite oriundos eſſe ſemper judicarunt; vix alia in parte tam promiſſos tamque copioſos gigni poſſe non ſine ratione autumantes. Quoad me attinet, animi anceps ad ægrotantis uſque obitum fui, ſatius eſſe arbitratus differre judicium, quam temeraria quadam aſſertione ludibrio

à quo-

à quoquam haberi. Ad plures itaque digreſſa tandem miſella, die ſequenti, præſentibus Medicis Chirurgiſque compluribus, cadaver aperui; reſque omnes ſic intus compoſitas inveni, ut fateri cogar, prædictos medicinæ Doctores, quibus de Embryone quid ante ſuboluerat, egregias ſolertiæ notas æquis ſuis conjecturis omnibus præbuiſſe.

Dato in conſpectum abdomine, magna primum in ſiniſtra hypogaſtrii parte lividitas apparuit. Hæc totius infimi ventris inſignem comitabatur tenſionem, eo magis unicuique mirandam, quod in ſumma corporis univerſi macie, non videretur eſſe craſſiori aqualiculo locus. Aperto poſtea abdomine, magna aquarum intus congeſtarum confluges primo ſub oculos venit, quarum infelici collectione Hydrops his locis inſederat. Deinde obſervatum fuit Fiſtulam, quæ prima apparuerat, & dextrum occuparat hypogaſtrii latus, intus penetraviſſe; ac interna quæque pervadendo, ad dextrum matri-

cis

cis cornu perveniſſe. Peritonæum circa internum hujuſce Fiſtulæ orificium livore perfuſum erat; nec ab eodem immunis videbatur veſicæ fundus, quem in mali quoddam conſortium veniſſe modo dicturus ſum. Circa illud internum Fiſtulæ orificium, Colon putredine quadam abſumptum, & ad craſſitudinem pollicis apertum, firmiter adhæſerat; ac in Fiſtulæ ejuſdem remotiſſima ſecretiorique parte dextrum veſicæ latus, rectum inteſtinum, & dextrum Vulvæ cornu, ita ſibi mutuo jungebantur, ut ab invicem divelli minime potuerint. Cæterum dextrum illud matricis cornu, vel ſi quibuſdam ut fieri amavit id nomen minus arrideat, appendix ejus dextra, teſticulo, tuba, ligamento lato, vaſiſque ſpermaticis ſimul unitis omnium conteſſione conflata, mirum in modum à naturali lege deſciverat. Nam prædictæ omnes unitæ partes in unicum tumorem oblongum, ovi minimi magnitudine craſſum, ſpiſſa tunica veſtitum abiverat; cujus pars extrema,

trema cavitatem abdominis reſpiciens, exeſa, putrida, lividaque apparebat; ſupradictis partibus vicinis tenaciter adhærens, adeo ut illic Fiſtula finem habere videretur. Eo aperto tumore, corpus quoddam oſſeum, figura ovale, pilis innumeris ſuperiori parte hirſutum, inferiori cavum aſperumque inventum eſt; cujus ex extremis partibus una obſcura quædam faciei lineamenta gerebat, altera vertebrarum colli pro inſertione ſedes eſſe videbatur. Superiori parte id ſuturas etiam, in cranio inveniri ſolitas, obſcuris quibuſdam veſtigiis repreſentabat; capillos præterea, quos geſſiſſe dixi, talis coloris habens, ut eos plane referrent, quos ægra cum alvo, tum Fiſtula, dum eſſet in vivis, emiſerat. Iidem etiam nunc in dies creſcere videntur, licet diu ſit à quo eorum baſis, ſeu prædictum corpus oſſeum, à natali ſua ſede divulſum, in ſpiritu vini aſſervetur. Infra autem id quidquid ſit corpuſculi, qua parte quædam faciei rudimenta viſebantur,

ſubjectum, ſed ſeparatum, oſſiculum inveni; quod aliqui claviculam eſſe duxerunt, ſed melius alii infimæ maxillæ adſcripſerunt, cujus extremæ & teneriores partes putredine fuerant abſumptæ. Cæterum omne uteri corpus foris & intus perfecte ſanum apparuit; craſſitiei namque erat mediocris, vividi penitus coloris, cavitatiſque demum tam ſtrictæ, tam puræ, tam integræ, ut eam ulli culpæ affinem fuiſſe ne fingi quidem poſſet. Erat itidem ſanum omnino ſiniſtrum ejuſdem uteri cornu; ita ut nullus ſit, qui non fateri cogatur, in noſtra ægrotante omnem vim morbi, dextra uteri ejus appendice conceptam, has etiam ſolas partes, inter eas quæ generationi miniſtrant, perdidiſſe. Poteram plura; ſed ne tædio eſſem, malui adjectis rerum prædictarum figuris oculos paſcere, quam nimia verborum congerie lectorum obtundere aures. Qui tamen ne his quidem ſibi ſatisfactum eſſe cenſebit, archetypum poterit, quod apud me ſumma cura ſervatur, quandocunque libuerit,

libuerit, oculis quavis diligentia lustrare.

Hæc sunt hactenus, quæ viris quotquot sunt Eruditis Curiosisque ob oculos ponere decrevi. Quod vero ad prædictarum rerum ætiologiam attinet, licet quamplura essent quæ in medium afferre potuissem, consulto tamen ab iis abstinui, tanta in doctos quosque viros, ad quos hæc pervenire possunt, reverentia & observatione ductus, ut paria cum iis facere, religio mihi fuerit. Ne tamen hac parte præsens narratio manca iis videretur, qui rebus physicis insudare minime solent, Eruditiorum Clariorumque quorumdam amicorum datas ad me de superiori observatione sententias subjicere volui; facta tamen prius diserta professione, me, his potius publico gratificari, quam Curiosis doctioribus quovis præjudicio adversum ire, voluisse. Sic autem prima eorum responsio habet.

Domino

Domino Aymé,

Sereniſſimæ Reginæ Chirurgo meritiſſimo:

Ferd. Mendez, *Regis & Reginæ Med.* S. D.

RAriſſimi morbi hiſtoriam quam ad me mittis, ea aviditate perlegi, quâ morbum ipſum vivente ægrotante oculis luſtraveram. Refricas enim memoriam inſolitæ rei, eámque nativis coloribus ita depingis, ut eruditos quoſvis naturæ Scrutatores, qui ſpectaculo intereſſe optaſſent, jam abfuiſſe vix pœniteat. Quoniam verò judicium hac in re meum enixè petis, ego te ejuſdem non quidem certiorem, ſed magis memorem efficiam, recenſendo 1. Morbi aitiologian, 2. Phænomenῶn rationem, 3. Similium obſervationum exempla.

I. Morbi aitiologiam quod attinet, (tametſi lites ſuper ea ſuſcitatas Cadaveris extiſpicium dirimiſſe videatur) Fœminam hanc non ſolùm concepiſſe, (uti ἐκ τῆς καταμηνίων ſuppreſſione, ventris aliquali intumeſcentia, & cæterorum epiphænomenων ratione manifeſtum puto.) ſed duos treſve graviditatis menſes tum egiſſe, quando Diepæ ventrem inopino caſu alliſit, his rationibus inducor ut credam: 1. Quia oſſa capitis ejus magnitudinis poſtmodum inventa ſunt, quæ huic ætati reſpondeat. 2. Quoniam reliqua corpuſculi oſſicula per id ætatis teneriora putredo conſumpſerat, quæ in adultiore fœtu firmioris naturæ, illibata perſtitiſſent. 3. Denique quia motum fœtûs nunquam percepit; quod de mentita graviditate multis impoſuerat.

Degebat illa, gravida quidem, ſed ſana, quouſque fatalis ille caſus, (à quo Morbi initium ſumendum venit) duo graviſſima mala cùm prægnanti, tum fœtui intulit. 1. Tumorem inſignem alliſæ partis dextræ

&

& ſuperioris hypogaſtrii ; alterum verò, fœtûs ad quem ictûs violentia pertigerat, interitum.

Hypogaſtrii tumor intra duas treſve ſeptimanas, (conſueto tumorum ordine) pepaſmum adeptus, & ſponte diſruptus, magnam puris non illaudabilis copiam effudit: Naturâ ipſâ, Chirurgi qui tum non aderat, operam ſupplente.

Jam verò nova illa intumeſcentia, pugno major, & ſcirrhoſæ duritiei, quam per anguſta & calloſa veteris ulceris ora in ejus fundo percepiſti ; fœtus erat, emortuus quidem, (nam nullum vitæ indicium exhibuit) ſed loculo materno propriis atque maternis tegumentis obvolutus, atque contentus.

Fœtus emortuus eouſque integer, ut ſic loquar perſtitit, quò concepta atque diutiùs aſſervata ſanies corruptelam ipſis quoque tegumentis accerſivit: quibus diſruptis concluſus humor quavis latrinâ olentior, & crines, quos putredo ex capite fœtûs

abraſerat, viam ſibi ſtraverunt per adapertum jam hypogaſtrium.

Salutare proculdubio conſilium fuiſſet, eadem operâ, quâ ulceris labia nimis anguſta aperuiſti ad faciliorem ſordium exitum; Gaſtrotomiam ipſam, ad omnimodam fœtûs excluſionem inſtituiſſe.

Perſeveravit per integrum ſeſquiannum utrumque effluvium, tum humoris fœtidi, tum capillorum. Utroque verò demum deficiente, & calloſo ulcere penè coaleſcente, affulſit ægrotanti per menſes aliquot ſpes ſalutis; ſpecioſior, quàm verior. Nam cùm matricidæ prolis reliquias viſceribus geſtaret, nec exitus pateret collectæ intùs illuviei, duplicem illa ſibi efformavit: alterum nempe per vetera veſtigia coaleſcentis ulceris, quod naturæ conatus, impetúſque materiæ uſqueadeo patefecerat, ut ſuberta exinde hæmorrhagia præſentaneum minaretur exitium: alterum verò per perforatum Colum inteſtinum, quod diutinum incumbentis

atque

atque ſtagnantis materiæ vitium corruperat, atque perforaverat.

Mirabilis hujus perforationis præludium fuere dolores Colici (dum enim inflammantur aut corrumpuntur partes ſenſu præditæ, dolores fiunt, non verò poſtquam corruptæ ſunt) vomitionéſque: conſequentia verò, teneſmi & crines per alvum, obſtetricante materna manu, excreti.

Sic perforato inteſtino, & inter idem, & fœtûs ſedem, foraménque hypogaſtrii inito novo, ſed fatali commercio, mirari non debemus capillos fœtûs qui per ulcus hypogaſtrii exire conſueverant, per alvum excerni cœpiſſe: & è contra ſemina, ſeu grana ficuum quas pridie comederat, pharmacum quod ſumpſerat, & ipſa ſtercora, quæ per alvum deturbari oportebat, ad hopogaſtrii foramen excernenda divertiſſe.

Præter recenſita mala, oſſicula quædam capitis, cute veſtita, quorum duritiem putredo non attriverat, & quæ præ magnitudine viam per anguſta ulcerum ora non invenerunt, in

diſſecto cadavere inventa ſunt: uti & abdomen aquâ diſtentum, à diſruptis proculdubio lymphaticis vaſis, quæ conſumptam dexteram tubam & teſticulum perreptabant. Cùm enim redeuntem lympham in ulceris ſinum deponere non poſſent, (exiſſet enim foràs cum pure) eam in abdominis cavitatem profuderunt. Porrò, ob lymphaticorum vaſorum per teſticulos luxuriantium multitudinem, hydrocele, præ cæteris aquoſis tumoribus, frequentiſſimè mares infeſtat, ipſis haud inviſa fœminis.

II. Funeſti Morbi ἀπολογία ſic breviter recenſitâ, jam Phænomenωn ejus, uti promiſeram, compendium faciam. Et quidem mirari ſubit. 1. In tanta fœtûs & adjacentium partium corruptela inoffenſum uterum: 2. Quomodo tanta inexhauſti humoris copia emanare per tot annos potuit è tam exiguo corpuſculo? 3. Cur nulla portio ejuſdem fœtentis humoris per muliebria effluxit, viis per uterum uſqueadeo patentibus? 4. Cur nihil itidem fœtidæ illuviei ex ulcere, quod

totum

totum ventrem ab hypogaſtrio ad inteſtinum uſque transfoderat, in abdominis cavitatem ſtillavit; nec contra quidquam aquarum ex hydropicæ abdomine per ulcerum ſinus? 5. Cur incorrupta perſiſtere potuit cutis capillata, oſſibus pleriſque putredine conſumptis? 6. Quomodo tam conſtans defluvium capillorum, qui per tot annos emanarunt, & multis capillamentis efformandis ſufficerent, decidere potuerunt è tantillo, ac pro ætatis ratione, depili capite? 7. Denique cur geſtatum imis viſceribus cadaver, tot internæ partes corruptæ, ipſúmque Colum inteſtinum (quorum vulnera lethalia perhibentur) perforatum, poſtremum ægrotanti diem non ante ſexennium impoſuerunt?

1. Verumenim verò, 1. Mirari deſinemus inoffenſum uterum, in cujus ſinu fœtus neque putrefactus, neque etiam conceptus fuerat. In tuba enim uteri dextera natum & denatum fuiſſe, præter uteri illibatam ſubſtantiam, ipſius tubæ abſentia, & morbus oſſaque eo loci ſita manifeſtè

evicerunt. Néque enim inauditum eſt in tuba fœtum efformari atque adoleſcere, poſtquam tot hiſtoriæ Harvæi, Riolani & aliorum quos hîc recenſere ſupersedeo, id manifeſtum reddiderunt : quibus annumeranda illa Vaſſalii Chirurgi ; tametſi ipſe tubam fœtu gravidam (uti viri Doct. Regiæ Societatis ante me animadverterunt) pro altero utero accipiens, prodigium ære inciſſum non ita pridem ſub titulo duplicis matricis Orbi litterato exhibuerit. Quin & hujuſmodi tubales conceptus non adeo mirabiles exinde videbuntur, poſtquam ova humano germini deſtinata, in mulierum teſticulis, juniorum diligentia adinvenit. Nam ovum è teſte deciduum & per tubæ canaliculum in uterum tendens, ſi detineri contingat in tubæ ſinu ; illud herclè in ſuam atque Matris perniciem adolebit.

2. Jam verò tanta humoris fœdi ac fœtidi copia è ſolo fœtu non emanavit ; ut quæ non fœtûs modo ſed totius materni corporis pondus ex faci-

facili ſuperaſſet. Præbuere tamen occaſionem perenni defluvio retenta oſſicula, partem ubi conſidebant apertam ſervando. Nam cum pars illa ſanguinem ex arteriarum oſculis jugiter depluentem tranſmittere per venas non valeret: eundem pro loci ratione in pus convertit, unde purulentum ſtillicidium non, aliter ac ex fontanella cui heret globulus, perennavit.

3. A præfata poſitura fœtûs in tuba petitur ratio cur nulla fœtidi humoris portio per muliebria effluxerit; quod mihi olim de concepto in tuba fœtu ſuſpicionem haud levem præbuerat. Via enim quæ à tuba uterum ducit adeo flexuoſa & cæca eſt, ut leviſſima occaſione, ne dicam incumbentis fœtûs aut oſſis pondere, obturari poſſit, atque ſubſidere.

4. Inſuper, ex turgido aquíſque diſtento abdomine nihil aquarum per ulcera; uti neque purulentæ illuviei quidquam in cavitatem abdominis depluere potuit, quando Natura circumjacentes partes ipſi ulceri uſque adeo agglutinavit, ut nulla à cavo abdominis in ulcus, aut contra ab

ulcere

ulcere in cavitatem abdominis dehiſceret rima.

5. Cutis capillata cranio firmiter adhærens incorrupta permanſit, quia excuſſo humore, corruptionis parente, in oſſeam penè firmitudinem induruerat. Quod mirum videri non debet, quando ipſi etiam humores, ſi ſpiſſioris ſint conſiſtentiæ, ut in Atheromate, Steatomate, atque Meliceride, incorrupti diutiſſimè ſervantur. Porrò hiſtoria (prout legitur in ephimerid. Eruditorum Gall. ann. 1678.) Mulieris Toloſanæ, quæ in cavitate abdominis fœtum per annos 20. vivum, dein per 6. alios annos mortuum quidem, ſed incorruptum geſtavit, noſtram hanc (quoad hujuſce phænomeni admirationem) longiſſimè ſuperat.

6. Quod ſi capilli præter ætatis rationem prolixi & copioſi per annos plures effluxerunt, id factum arbitror, quoniam in cadentium locum novi ſuccreſcebant. Neque id mirum in cadaveroſi fœtûs capite, in quo nativi caloris defectum, tum propria

& inteſtina principiorum fermentatio, tum vivæ matris calor quodamodo ſuppleverat. Quod ſi non deſiit mirabilis hæc crinium γένεσις etiam poſt matris obitum; inde id contigit, quòd ſpiritus vini, quo calvaria aſſervabatur, demortuos alioqui ſpiritus ſuſcitabat atque impellebat. Humor enim per cutis capillatæ poros (eadem pilorum circa ulcus ſuccreſcentium ratio) adactus, & tum proprio partis, tum adſcititio matris aut vini ſpiritu atque calore propulſus, in pilos efformatur; non aliter ac ſuccus è terræ viſceribus per anguſta ſeminum foramina (propellente proprio ſeminum & adſcititio ſolis & fimi calore) in plantas diverſæ naturæ pro modulo foraminum effingitur atque adoleſcit. Ita ut plantæ nihil aliud quàm terræ crines, crines verò nihil aliud quàm plantæ in capite pullulantes eſſe vidantur.

7. Deniq; fœtus, tuba, teſticuluſque corrupti, necnon colon inteſtinum perforatum, ægrotanti mortem non citiùs attulerunt, tum quia purulenta illu-

illuvies, eo quo conficiebatur gradu foràs prodibat; quin ob illam quam diximus partium agglutinationem quidquam effatu dignum in cavum abdominis vel, cum refluo ſanguine in viſcera remeare potuiſſet: tum etiam quoniam prædictæ partes proli magis quàm vitæ deſtinatæ ſunt; ſi inteſtinum demas, cujus ſolutiones continui tribus potiſſimùm nominibus lethales creduntur: 1. Ratione ſubſtantiæ, quæ membranoſa & ſenſilis diſcindi & pertundi non patitur abſque inſuperabili dolore, inflammatione, gangræna: 2. Ratione continuitatis, quæ conceptam quavis ſui parte corruptelam, in vicinam quantocyus vehit: 3. Denique ratione officii, nam fæces per alvum excernendas in aliena convehit loca, perniciem brevi allaturas. Verùm hujuſmodi rebus ne in hoc caſu, ut in multis aliis præſentaneo fuiſſent exitio, præſervatrix natura ſubvenit; nam, ut de ſecundo & tertio prius loquar, illa, quam diximus partium adhæſio ſeu agglutinatio obducto

callo

callo effecit, quominus corruptela ulterius ſerperet, nec alvi fœces in cavum abdominis dilaberentur. 1m. Verò quod attinet, licet coli ſubſtantia ſit membranoſa, & exquiſitiſſimo ſenſu prædita, (quod ipſa etiam ægrotans doloribus colicis vexata ſuo malo experta eſt) tamen abſque præſentaneo interitu, (nec enim ipſe Hipp. vulnera craſſorum, ſed ſolummodo tenuiorum inteſtinorum lethalia eſſe voluit) perforari & pertundi patitur; dummodo nullâ ſubitaneâ vi, nec irruentis humoris impetu, ſed pedetentim, tardóque motu, Natura opus illud aggrediatur. Admiratione enim dignum eſt, quàm multas, quámque difficiles operationes natura ſenſim progrediendo, ut gutta lapidem excavando, fœliciter abſolvat; quas præpoſtero conſilio, & violento impulſu non modò non exequi, ſed ne vix quidem tentare abſque internecione potuiſſet. Ita devorata quandoque ſpica, acicula, & alia hujuſmodi, viam ſibi per perforatum abdomen, proindéque & inteſtinum,

(qui

(quî enim aliter fieri poteſt ?) abſque ullo verendo ſymptomate adinvenerunt. Sagittarum cuſpides, globuli plumbei, quos violentior ictus in corpus adegerat, ſæpe poſtquam per multos annos in corpore latuerunt, propellente ſenſim & ſine ſenſu naturâ, varias corporis partes abſque doloris ſenſu perforaſſe obſervavimus; ut quandoque factâ per inteſtinum viâ, per alvum excerni ab Alexandro Benedicto, aliiſque fuerint animadverſi. In avibus, quæ obvia quævis abſque delectu deglutiunt, quid ſimile haud infrequenter experimur; videntes aciculis, quas incautæ devoraverant, jam carnoſum ventriculum, jam ipſum jecur abſque valetudinis offenſa transfixum. Uſqueadeo magna atque mirabilis eſt tardi motûs energeia; quam ſi ulterius experiri velis, in te ipſo potes. Quis enim, obſecro, ſuam ſibi ſuram, aliamve carnoſam partem, aciculâ ad imum uſque perforatum iri credat, abſque ſanguinis profuſione, doloriſque ſenſu? Id tamen facilè efficies, ſi modò

aciculam

aciculam ſenſim & leviter circumrotando adegeris. Ita porrò inteſtinum incumbenti humori primùm aſſuevit, mox perforari quoque paſſum eſt, abſque lethalibus illis ſymptomatis, quæ violentos humorum & naturæ motus ἀθρόως concitatos comitari conſueverunt.

Cæterum Ægrotans declinare prorſus non potuit Fata, utcumque cunctantia. Nam per continuum afflatum & circulationem ſerpente vitio in ſanguinis maſſam, tot malis ſuſtinendis jam impar, vitam, quam per ſexennium calamitoſam trahebat, marcore tandem confecta amiſit.

III. Quanquam novitate obſervationis allectus, tranſcurriſſe mihi videor ultra propoſitos epiſtolæ fines, finem epiſtolæ non priùs imponam, quàm de promiſſis hiſtoriis huic tuæ analogis fidem meam abſolvero.

Ludovica Pouppard (quam hiſtoriam Rouſſeti de Partu Cæſar. *Sect.* 4. *c.* 2. ubi ſimiles alios caſus videre potes, in compendium redegi) cum ob quartanam menſtrua ſibi ſuppreſſa

preſſa credidiſſet, tamen concepe-
rat. Durus ventris tumor pro ſcir-
rho lienis variis medicamentis tracta-
tur à Medico pariter decepto. Mor-
tuo tandem fœtu, mollioribuſque ip-
ſius partibus putrefactis, nec ullis
partûs ſignis conſpicuis, oſſa tractu
temporis denudata, uterum poſteri-
ora verſus circa regionem inteſtini
recti perforarunt; ita ut ſenſim per
alvum unà cum excrementis oſſa
[quod magis mirum] fuerint excreta.
Cum ita diù, cum morbo conflicta-
ta fuiſſet, tandem interiit. In diſ-
ſectæ cadavere oſſa capitis fuerunt
inventa.

Antonia Sarron (obſervante Min-
gaultio Chirurgo) cùm mortuum
fœtum per longum tempus geſtaret,
concepit. Uterus à conceptione
clauſus, ſaniem & ſordes exire an-
tea ſolitas cùm retinuiſſet, novam
ipſis viam molita eſt natura, for-
mato infra umbilicum abſceſſu, è
quo fœtidiſſima ſanies toto trimeſtri
prodivit. Marem poſtmodum enixa
eſt, quartâ poſt horâ denatum. In-

terea

terea temporis, ulcere in deterius vergente, novus apparuit prope priorem abſceſſus, per quem iſchii oſſa fœtûs mortui, eò loci prominentia, ſola manûs opera Chirurgus eduxit: Poſtmodum & alia per utrumque foramen in unum redactum; inter quæ prodierunt oſſa capitis, cerebro deſtituta, tegumentiſque denudata: pauxilla tantum cute in occipite & cervice pilis veſtita, ſuperſtite; qui pili denſi, duorum tranſverſorum digitorum longitudinem æquabant. Prædicta autem mulier (niſi mendum ſubeſt in textu) annis ſupervixit quadraginta. Hanc obſervationem, in compendium à nobis pariter redactam, eruimus è Sepulchreto clariſſimi Boneti. p. 1368. ubi reliqua habentur.

Cæterùm ſtercus per perforatum variis in locis abdomen, uterum, veſicam; nec non urinam, oſſa, aliáque utero veſicáque contenta per alvum prodiiſſe, (Nobilem mulierem non ita pridem in hac civitate per alvum enixam ambo novimus)

abſque præſentaneo, quandoque nullo vitæ periculo, multi ſcriptores (quos ſigillatim perſequi nec vacat, nec libet) memoriæ prodiderunt. Horum hiſtorias à Schenkio & laudato Boneto ſtudiosè collectas, & in praxi quandoque obſervatas, cum tua ſi contuleris, omniumque phænomena ad rationis normam exegeris, in eam ſententiam mecum facilè incideris: præſervatricis naturæ induſtriam atque conatus magis ſuſpicere, quàm admirari oportere.

Vale.

Londini, Octob.
20. 1683.

Secunda quæ ad me pervenit eorum ſententia, ſequentibus expreſſa verbis in autographo legitur.

Dom.

Domino Aymé,

Sereniſſimæ Reginæ Diguiſſimo Chirurgo:

Ludovicus le Vaſſeur. *Med. R.* S. P. D.

LICET inter Phænomena hiſtoriæ, cujus me participem humaniſſimè feciſti, plurima ſint quæ non parum à recto naturæ tramite recedant; quædam tamen eſſe arbitror, inter ea quæ aperto cadavere occurrerunt, ab eruditis ventilari longe digniora. Illa namque quantumvis mira, internarum tamen partium obſervatione plana prorſus & expedita evaſerunt: hæc vero etiam oculis ſubjecta, abſtruſæ nihilo ſecius adeo indolis eſſe videntur, ut in iis diligenter excutiendis totius rei cardinem verti ſit à quovis exiſtimandum. Quare tria

ſolùm hic te coram perpendere ſtatui; quorum primum eſt, quomodo fieri poſſit, ut mortui ante plures annos embryonis particula tamdiu incorrupta in matris ſinu permanſerit? Alterum, quî factum ſit, ut intemerata undiquaque vulva, hæcce particula dextro contenta matricis cornu reperta fuerit? Ultimum denique, qua vi, quave potentia, eadem fato functi, longè matris ante obitum, embryonis particula, tantam capillorum ſegetem ſuppeditarit, quantam fiſtula alvoque emiſiſſe ægrotantem plurium annorum ſpatio notas.

Ut itaque primum excutiam, non dubitanter aſſeverabo, inventæ in uteri cornu particulæ conſervationem non magis, mea quidem ſententia, ſtupendam eſſe, quàm aliarum ſine numero rerum corpore exceptarum integritatem, quæ eo ſolum nomine minus celebratur, quod frequentiùs in uniuſcujuſque oculos incurrat. Conſtat enim, & eſt omni exceptione hæc aſſertio major, quòd

quòd natura non ſolùm corporis hujus partes, quod regit, ſedulo tuetur; ſed ejuſdem etiam humores, excrementa, imo denique in ſe contentas hoſpiteſque quoquomodo ſubſtantias ab omni vindicare injuria curat. Ut enim opus naturæ eſt intelligentiæ opus, quemadmodum aiunt in ſcholis Philoſophi, eaque corporis cui præficitur commodis perpetuo invigilat, ne quid illud detrimenti cujuſvis corruptione capiat, quidquid in eo obvium eſt illa calore ſpiritibuſque ita ſuſtinet, fovet, elaborat, ut quantum poſſibile exiſtit, id intemeratum & à putredine liberum tueatur. Nec mirum quidem videri debet, ſi id eo pacto fiat, modo ſit, id quod vulgo perhibere ſolent: in unoquoque nimirum corpore eo ſolum concipi putredinem, quod proprio rectoreque calore, ſpiritibus item humidi primigenii moderatoribus, id quavis ratione ſpoliari contingat. Dum enim ſagax hæc providaque mater receptum aliunde in clientelam corpus quodque calore

ſpiritibuſque perfundit, propriæ vivacitatis amiſſæ defectum tam perfectè ſarcit, ut id ſic irretito quaſi vivente humido diem longiſſime ferat. Quantæ autem hoc veritatis exiſtat, præſertim in corporibus huic noſtræ particulæ analogis, Sennertus luculenter oſtendit, qui *lib.* 4. *part* 2. *Sect.* 6. *cap.* 7. medicæ praxeos, innumeras embryonum aut eorum partium hiſtorias refert, quorum ſubſtantia, licèt diu retenta in corpore, inculpata tamen denique ac minimè putrida prodiit. Memorat idem Ronſæus in epiſt. ac Tulpius *lib.* 4. obſervation. *cap.* 39. rerum minimè à præſenti obſervatione abhorrentium exempla plurima profert. Illuſtris præſertim Bartholinus, *cap.* 4. *Hiſt.* 14. ſimilem prorſus hiſtoriam habet: & incomparablis Harvæus tractat. de partu tradit, mulierem Londinenſem abortum ſine fœtus excluſione paſſam iterum concepiſſe, fœliciter infantem peperiſſe vivum, ac multo poſt tempore læſum præ-

cedenti

cedenti abortu fœtum tum demum emiſiſſe. Si vero à me fortè quæſiveris, quî fiat, ut tot annos caput ſolum, diffluente interea per putredinem reliquo corpore, integrum tamen perſeveraverit, illico reponam, quod licet omnium partium in conformatione ſit æqua naturæ cura, ſunt tamen ex iis quædam tam nobiles, tam aliarum commodis natæ, ut priores conſtituantur. Hujus generis caput eſſe teſtis Hippocrates exiſtit: ideo ſemper & majus & ſolidius aliis partibus in fœtu reperitur; tumque conſervationis capax eſſe videtur, cum reliqua omnia præ nimia mollitie ſponte ſua diffluunt. Cum itaque id inter læſi embryonis noſtri partes firmiſſimum accepta plaga fuerit, huic unicè oborta mortui fœtus putredine, corruptio pepercit; ea tamen indulgentia, matri quondam crudele fatum illatura.

Ad Secundum tranſeo, quod fœtus extra uterum generationem reſpicere ſupra conſtitui. Hujus igitur gratia dicam, quod olim hiſtorias embry-

onum in tuba teſticulove repertorum honeſtas eſſe fabulas arbitrabar; difficultatem apud me perpendens, quæ virile ſemen per has perreptare vias, hiſque inſidere locis manifeſto vetabat. Imo hoc dato non conceſſo, hærebat adhuc mihi aqua, dubiuſque quærebam, quo poſſet pacto his in locis embryo vaſa nanciſci, alimoniæ ſuppeditandæ idonea. Nam non omnis fert omnia tellus, nec unæquæque partes omnibus fovendis rebus aptæ naſcuntur. Sed ab eo tempore quo legi apud Riolanum ea embryonum in tuba teſticuliſque inventorum exempla, quæ *cap.* 35. *lib.* 2. Anthropol. fusè proponit, ea inſuper quæ inclytus habet Harvæus lib. de generation. animal. idque demum quod nuper in tranſact. philoſoph. 10. *Auguſt. ann.* 1683. divulgatis, vir eruditus graphicè nobis expreſſit, ſenſim animum in hanc dilabi ſententiam percepi, quam prius ſeu abſurdam planè reſpueram. Poſito igitur hoc indubitatæ jam veritatis facto, utpote cui tua etiam

hiſtoria

hiſtoria adſtipuletur, datoque quod conceptio extra uterum fieri poſſit, teſtibus Bartholino. lib. de inſol. part. viis, Marcello Donato, Gaſpare à Reyes, Salmuth & aliis, binis hiſce quæ ſupra retuli difficultatibus primum oppono, quod ſcribente Illuſtri noſtro Harvæo exercit. 65. libr. antea laudati, in animalibus uteri cornu frequentiſſimus conceptionis locus exiſtat, quodve Bartholinus *cap.* 28. *lib.* 1. anatom. reformat. generationem in tuba inchoari, perfici vero in utero manifeſte doceat. Nec obeſt quod humani ſeminis energia vix ad hæc pervenire loca videatur. Sive enim maſculum ſemen, nihil aliud eſſe præter innumerorum animalculorum ſpiſſam conflugem, cum Delphenſi microſcopiorum huc uſque inauditorum authore ſtatuamus; ſive ut eruditorum fere omnium cohors hodie ratum habet, ſolus virilis ſeminis vapor, ſeu vivax architectωnque ſpiritus fœminas unice fœcundet, quod Ariſtoteli non parum arriſiſſe videtur, cum marem ſcribat prin-

principium motus, fæminam vero materiam duntaxat in generationis negotio conferre; nullus reſtat me judice dubio locus. Non enim eſt meatum fingere quemquam ita anguſtum, ita impeditum, quem ſubtilis maſculi ſeminis vis, energia, aut ſi malueris, ſpiritus haud ſubitò penetrare poſſit; nulla etiam tumultuantium, de quibus ſupra, animalculorum congeries, quæ non eaſdem raptim vias pervadere queat; ubi præſertim coitus furor, & ut ita dicam tempeſtas æſtu ac concuſſione omnia accenſa & exagitata, qua data porta, violenter explodit. Si enim uſquam, eo præſertim tempore, conſluxus omnium unus, conſpiratio unica, cunctorum in corpore membrorum ſympathia, ut latinè loquentem Divum noſtrum Senem in medium adducam, accidit & obſervatur; unde fit ut virulentæ labis per coitum tam facilis ſit admiſſio, ut ſæpe non ſolum vicinas ingreſſui partes, ſed ima etiam corporis penetralia inficiat. Non magis cæterum aſſertioni noſtræ adver-

adverſatur alimoniæ defectus, qui ſcrupulum ut dixi quondam mihi moverat. Nam quis non novit quotuplicia teſticulos, tubam, latumque utriuſque ligamentum vaſa conſcribillent? Tendit ad has partes vena, ad eaſdem arteria pergit, ac tam fruticoſa ramificatione utraque has partes circumcirca perfundit, ut nullus ſit in iis locus, in quo allabens alimentum fœtus deſiderare queat. Nec ægrè quis crediderit inde fœtui ſubſidium accedere poſſe, ſi eorumdem vaſorum ramum ad matricis fundum divertentem fœtui ſæpe in utero degenti alimentum ſuppeditare perpendat. Quare nequidquam Whartonum doctiſſimum admiror, virile ſemen in coitu rectà muliebrem ad tubam ferri aſſerentem; eoque minus, quod nullo pacto huic Barthol. refragetur, quem tamen tam audax aſſertio minime latuerat.

Tertium denique & ultimum hujuſce elucubrationis membrum attigi, in quo dubium eſt, qua vi, quave potentia demortui embryonis caput, tandiu

tandiu capillos, tantaque ac memoras copia profundere potuerit. Hac de re primum dico, quod ſi ille pilorum, de quibus mira refert tua hiſtoria, proventus mediocris fuiſſet, non magnum ille nobis negotium faceſceret; cum vaporis fuliginoſi ſuperſtes portio, evaneſcentis avolantiſque in mortuo caloris ope protruſa, his ortum quandoque dediſſe viſa fuerit. Memorat id nimirum in memor. medic. centur. 3. §. 47. Camerarius, Bartholinuſque. cent. 1. hiſtor. 4. ac Riol. lib. 3. Anthropol. cap. 51. idem diſerte teſtantur. Imo Miſcellaneor. curioſ. in Germania author tractatum de miracul. mortuor. propediem proditurum in lucem pollicetur, ſcriptore Chriſtophor. Friderico Garmanno, ubi ait cap. 2. decad. 1. de pullulantibus in mortuis aliquandiu capillis fusè tractari. Sed diutina horumce pilorum quos nobis delineaſti eruptio, cum non poſſit recta ratione tranſeunti cauſæ adſcribi, neceſſario fatendum eſt, in capillata particula,

quam

quam eruiſti, virtutem reſediſſe, quæ ad ſupremum uſque ægrotantis diem hanc profuſam capillorum generationem conſtanter ſuſtinuerit. Quænam autem ea fuerit, ſi particula hæc viva fuiſſet, facilè doceret Averrhoes 2. collect. qui generatione quadam pilos ab anima produci ſtatuit: Non idem diſſimulante Philoſopho *lib.* 10. problemat. ult. Plotinus etiam hinc ſe facilè extricaret, qui veſtigium animæ poſt mortem ſupereſſe cenſet, à quo poteſt horum generatio etiam in cadaveribus prorogari. Plempius eodem modo has caſſes evaderet, cum pilos ab anima etiam generari profiteatur: & facilius adhuc elaberetur Senguerdius, qui ſingulis pilis ſingulas mira liberalitate animas aſſignare auſit. Sed in mortua, ut capillatum erat quod inveniſti corpuſculum, embryonis particula, quæ animam longè antea quam effoderetur amiſiſſe debuit, quale illi principium, qualem pilorum originem fingere poſſent? Quoad me, qui cenſeo pilos ſola novarum

rum partium appoſitione & generari & accreſcere, quarum præparatio qualitatibus, aut ſi velis, efficaciæ partium, in quibus hi radices habent, tribuenda venit, rem utique patentem expeditamque exiſtimo. Nullus enim dubito, quin ægrotantis calor ſpirituſque, capillatam quam inveniſti particulam ſubeuntes, materiam in ea pilis producendis idoneam præpararint, ac in cutis amfractus protruſerint; unde pili ad ægræ obitum uſque fiſtula necnon ano prodierunt. Ceterum embryonis ſexus non parum forſan hanc ubertatem adauxit, cum ratum ſit fæminas ad profuſiores emittendos natas eſſe capillos: cujus immemor rei, quæ matris in ſinu fovebatur adhuc particula probabiliter eſſe non potuit. Addere hic poſſem exemplum à Paræo in fine operum ſuorum olim adſcriptum, cadaveris nempe conditi, quod apud ſe per 24. annos curioſè ſervatum habuit. Id, ſi ſeni fides, ac quidni experientiſſimo ac ſinceriſſimo viro haberetur,

creſcen-

creſcentibus ſubinde pilis, ſæpe ſæpius attendere neceſſum fuit. Sed plura deſino hîc congerere, ne forte tibi moleſtus ſim. Superiora duntaxat ut æquo animo feras enixè rogo, utque me ſemper, quod humaniſſime antea feciſti, diligere poſtea pergas. Vale.

Hæc omnia nativa mihi Gallorum lingua primo concepta, eadem etiam propalare dialecto in animum induxeram. Sed amici intervenere multi, qui hoc qualecunque eſt opuſculum ad omnigenos lectores perventurum eſſe rati, conſultius longe duxerunt, illud communi Eruditorum idiomate typis conſignare. Ego vero lubens annui tam prudenti, ut mihi videbatur, conſilio; ac gratiam ab unoquoque ſic initurus, ex amicis prædictis quemdam oravi, ut pro ea qua in me erat benevolentia, latina vellet civitate, quæ hic erant gallica, donare. Conſule his æqui bonique, humaniſſime lector: ac noſtris,

ſtris, levidenſibus licet, rei medicæ adaugendæ conatibus benignè tamen favere digneris.

In Tabula ſequenti delineantur.

Fig. 1. *Corporis oſſei in dextro matricis cornu inventi pars anterior.*

Fig. 2. *Ejuſdem corporis oſſei pars poſterior.*

Fig. 3. *Oſſiculum ſub oſſei corporis parte anteriore repertum.*

Fig. 4. *Capilli fiſtula emiſſi.*

Fig. 5. *Capilli ano excreti.*

FINIS.


V
I
IV
III
II
Durant sculp.